



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXXIV. Qui ex animo ad Deum T. O. M. vult converti, ad pedes crucifixi Jesu sæpiùs suam contritionem exciter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXXIV.

Qui ex animo ad Deum vult converti,  
ad pedes Crucifixi Jesu contritionem suam  
faciat.

*Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum  
istud & videbant quæ fiebant, percutientes pectora  
sua revertebantur. Luc. 23. 48.*

I.

**P**radicabat S. Joannes Baptista Præcursor Domini ad Jordanis  
flumen, ubi Josue cum exercitu suo sicco pede transferat, pœ-  
nitentiam in remissionem peccatorum, in quo loco in ripa  
acervatim jacebant lapides, & in ipso medio Jordanis alveo  
duodecim lapides grandiores, quos in memoriam tanti pro-  
digii ibidem Josue erigi iussit; & ut populum istum ad dignos pœni-  
tentiae fructus faciendos animaret, hanc ex præsentibus lapidibus com-  
parationem in medium produxit: *Quoniam potens est Deus de lapidibus* Matth. 3. 9.  
*istis suscitare filios Abrahamæ.* Et quomodo hoc?

R. Euthymius: Hoc impletum esse in passione Christi, in qua  
multi obdurati videntes petras scindi, aliæque prodigia, compuncti  
pœnituerunt, & crediderunt in Christum. Unde observat S. Lucas:  
*Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fie-* Luc. 23. 48.  
*bant, percutientes pectora sua (in signum doloris & pœnitentiæ) reverteban-*  
*tur.* Supra quod Cornelius: Jam incipiunt producere flores pœniten-  
tiæ, ut prædicantibus Petro & Apostolis fructum pariat, quod factum  
est paulò post, prout Actorum 2. 37. videre est. Juvat hic audire  
Theophilaetum: *Excitavit Deus filios Abrahamæ ex lapidibus, quando multi*  
*videntes Crucifixum, & ruptas petras crediderunt.* O peccatores terræ! si  
nondum degenerastis in crudos lapides, ecce facile remedium, quo-  
modo de statu perditionis possitis venire ad statum gratiæ, & ex lapi-  
dibus suscitari in filios Abrahamæ. Ite ad crucifixum Jesum, quia non  
est in aliquo alio salus.

*Ginther Unus pro omnibus.*

Sss

2. Moy-

Pfal. 77. 20.

S. Aug. tr. 26.  
in Jo.Revel. S. Birg.  
cap. 35.S. August. in  
Manual. c. 22.Luc. 18. 13.  
Luc. 15. 21.  
Luc. 23. 42

Matth. 8. 4

Pfal. 50. 1.  
Cassiodor. hic

2. Moyses per modum crucis percussit petram, & fluxerunt aquae. *Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio duo ligna crucis significat.* Audi ipsam Veritatem, Christum Dominum hunc Scripturae locum sic Sanctae Brigittae explicantem: Petra haec, inquit, est cor durum hominis: hoc enim si percutitur timore, & amore meo, statim effluunt lacrymae contritionis & poenitentiae. Nullus sic indignus, nullus sic malus, si vertit se ad me, si passionem meam intime cogitat, si potentiam meam attendit, si bonitatem perpendit, quod non fluant ora ejus lacrymis, & omnia membra ejus ad devotionem excitentur. Haec Christus crucifixus ad S. Brigittam.

Quid ergo agis peccator miserrime! quare in peccatis tuis vis computrescere. & sic aeternum perire? Surge, & illuminabit te Christus; Surge, inquam, & de novo erige te in spem, si crucifixum Dominum aspicias, ac contemplaris; En sacratissima Vulnere ejus adhuc aperta sunt, & plus ille potest dimittere, quam tu committere: *Tota spes mea, ait S. Augustinus, in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea. Peccavi peccatum grande, & multorum mihi sum conscius delictorum; nec sic despero, quoniam ubi superabundaverunt delicta, superabundavit & gratia.*

3. Vide, & considera poenitentiam Publicani per quinque verba, sed seria & ex animo contrito promanantia justificati: *Deus propitius esto mihi peccatori. Prodigium attende: Pater peccavi in caelum & coram te. Latronem intuere: Domine, memento mei.* Petrus & Magdalena non verbis, sed lacrymis suam exprimebant compunctionem, & exauditi sunt. Fac similiter, & si flere non potes ad pedes Crucifixi Redemptoris tui, saltem cor tuum fiat & propter offensam Dei ob tot perpetrata peccata tua in lacrymas diffluat.

Sed oportet, ut sistas te Sacerdoti: *Vade, ostende te Sacerdoti, quia non sufficit solum per contritionem & gratiae infusionem a lepra animae mundari; sed teneris quoque, ut tempore congruo te ostendas Sacerdoti novae legis, aperiendo illi cor tuum per veram confessionem: Miserere mei Deus, dicebat ille Rex, ait Cassiodorus, potentissimus, cum se audisset a Nathan Propheta redargui; peccatum suum non erubuit publice confiteri: Nec ad noxias excusationes cucurrit, ad quas maxime festinat humanitas. Sed repente salutari humilitate prostratus ipse se Deo offerens purpuratus poenitens piis lacrymis supplicavit. Hoc fac & tu, si gratiam apud Crucifixum Dominum discupis invenire. Et nunquid si apud saecularem Judicem tua confessus fueris delicta, sine mora ad poenam condemnaris? Et licet post acceptam sententiam usque ad mortem lamententis, non tamen flendo aliquid efficies: si vero, subintrat hic S.*

Chry-

Chrysoftomus, *toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam*, S. Chrysoft. *veniámque consecutus es.* Hinc rectè & bene S. Vincentius Ferrerius, *hom. 6. in* *Quando, inquit, absolvitur peccator, debet cogitare quòd omnia Vulnera sunt* *aperta, & sanguis effunditur super eum, quia sine hoc divino sanguine non* *fit remissio.* *Matthæum,*

4. Nunc considera unà mecum, quomodo Christus Dominus in cruce pendens, in summa sui abiectione summam suam ostendit majestatem & omnipotentiam, ne videretur coactus mori: *Terra* *Matth. 27. 51.* *mota est, & tutus terræ globus è centro suo convulsus contremuit; Et petra scissa sunt.* Primò in ipso Calvario monte, ubi crucifixus est Dominus, quod adhuc videtur, & simul per orbem terrarum in centenis ac pluribus aliis locis, ac præsertim propè littus Campanum, & in monte Alverniæ, ad quam petram mira fuit S. Francisci Seraphici devotio; unde in eodem loco quinque Sacratissima Christi Crucifixi stigmata meruit accipere.

Ecce quomodo in morte pientissimi Redemptoris nostri & ipsa saxa scissa sunt. Linguam non habebant, & tamen amplum de DEO & Homine Christo pro salute omnium mortuo perhibebant testimonium; Cor non habebant, & tamen loquebantur ad cor nostrum, quid nos facere oporteat; non fundebant lacrymas, sed nostras desiderabant, & etiamnum desiderant. En signa condolentis naturæ. Pudeat ergo hominem Christianum pretioso illius sanguine redemptum, non plus dolere mortem Christi quàm senserunt elementa.

Passus est ille in omnibus membris pro te: in capite coronam spineam, in facie sputa, in genis alapas, in lingua siccitatem, in humeris crucem, in brachiis immanem extensionem, in manibus ac pedibus clavos ferreos, & in toto corpore unum vulnus. Et hic Dominus ac Deus tuus clamat ad te: *Quid ultra potui facere pro te, & non feci? Ah quid moraris homo Christiane? Petra scissa sunt, & cor tuum propter tot delicta tua præ contritione non scindatur! Audi S. Thomam Villanovanum: Peccavimus fratres, inquit, aut penitendum, aut ardendum: Quam* *S. Tho. Vill. Conc. 1. de* *to melius modicam penitere, quàm perpetuò ardere?* *judicio.*


5. Audi historiam: Theodoricus Susatensis studiosus, & nunc juvenis maturus contendebat Lubecam ad Virginem, quam deperibat, ut eam sibi desponsaret; sed alius prævenit, quem dicta virgo sibi elegerat in sponsum, quod audiens Theodoricus indignari cepit, fremere, & quod ejusmodi procis familiare est, dæmonis opem inclamare: *Cæfarius Heisterbacensis, lib. 5. c. 27.* *Diabolus, qui me huc adduxit, hinc etiam poterit abducere, & unde veni, reducere.* *& Sandæus Cent. 3. n. 10.* Et ecce invitatus mox adstat tartareus ductor, qui juvenem apprehendens in aëra evexit: & ultra civitatem Lubecam asportans, ad aquas depo-

deposuit, & in terram projecit, exclamans: *Periisses, nisi te signasses, quia in ipso raptu juvenis signum S. Crucis formaverat.*

Dimissus à Cacodamone, & à tali lapsu tam immiti humi jacens extensus, sanguinèmq; vomens, tandem ad se reversus, ad flumen manibus, pedibusque prorepit, ad cujus ripam se abluit, ac lento & tremebundo pede, baculo innixus, tandem ad hospitium suum pervenit, ubi sanctiora & saniora cœpit meditari consilia; & quia virtutem Sanctæ Crucis agnovit, in animo contrito & humiliato ad pedes Crucifixi Redemptoris sui prolapsus, veniam temeritatis suæ & peccatorum impensissimè rogavit, & obtinuit, unde relictis omnibus Religionem ingressus, *totum se Cruci & Crucifixo Jesu dedicavit.*

Disce ex hoc, anime mi, quantum possint suspiria & affectus contritionis ad pedes Crucifixi Salvatoris nostri. Proinde ô mi Jesu vulnerate ex toto corde meo doleo, quod unquam à prima mea pueritia hucusque peccaverim, quia te, DEum meum summè Bonum, bonorum omnium fontem offendi; ô si sanguine meo fieri posset, ut non offendissem te, omnem parato animo profunderem, ut tu omnem profudisti pro me in cruce; doleo ô mi

Jesu, Amor Crucifixe!



## CONSIDERATIO CXXXV.

De immenso pretio Sanguinis Christi, in passione & in cruce ad redemptionem animarum nostrarum effusi.

*Empti estis pretio magno: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Cor. 6. 20.*

Gen. 37. 28.

**J**osephi Patriarchæ Jacobi filii pretium æstimatum quondam fuit viginti argenteis, ita Scriptura: *Et praterentibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterno, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.* Christi Domini ac Salvatoris nostri Jesu pretium æstimatum fuit triginta argenteis: *Ar. 115. confi-*